

candi impunitatem allatura sibi sperat. Quae falsa spes cum longe lateque flueret, tandem Socini familiam tenuit, quae varie ornauit eam, plurimorumque dogmatum suorum fundamentum esse voluit. Tandem nostris temporibus fixisse suam sibi sedem videtur inter malefanum quoddam hominum genus, quos *Naturalistas* appellamus, qui praeter caeteros huic confidentiae indulgent. Eam vero statim frangit et eripit iustitiae perfectissimae, quae a natura diuina secerni nequit, cum vita Dei coniunctio. Etenim si Deus iustitiam migrat, quae potest esse vita Dei, quae infinita agitatio. Voluntas Dei cum sit omnis actiuosa, num illa, quae sapienter moderatur bonitatem, quiescet. Proinde simul, ut Deum de iustitiae seueritate remittere posse contendis, temere de vi eius infinita detrahis, qua nihil Deo dignius

III) Eorum quoque causae, qui non modo animum superstitem, sed etiam reditura aliquando corpora nostra a morte ad vitam, statuunt, fidem et firmamentum aduersus irrisores adiungit commentatio nostra. Immortalitas animi duplex, interna atque externa, separari nunquam debet. Illam habet per simplicem naturam suam, hanc a creatoris voluntate. Vtraque viua Dei bonitate iustitiaque stabilitur, quod bonitas tantum, quantum fieri potest, perficit animum, immortalitatis per naturam, diuinitus conseruatam, capacem, iustitia virtutem praemiis, malis vitia, debitis, afficit, quae huius vitae breuitas non capit. Cumque Deus semper perfectissime viuat, quidni vitam corpori, animi consiliorum instrumento, quam illi principio dedit, reddere possit ac velit. Quod gentibus, omni spe deiectis, grauius IRENAEVS³⁵ inculcat: *Si Deus initio eum, qui non erat, fecit, ut esset, quando voluit, multo magis eos, qui iam fuerunt, restituet volens in eam, quae ab ipso datur, vitam. Inuenietur autem perceptrix et capax caro virtutis Dei,*
quae

35) V. pag. 297